

nuntur tibi. Scriptura divina convivium sapientiæ est: singuli libri singula sunt fercula. Intellige prius quæ habeant ferculorum dapes, et tunc mitte manum; ut ea quæ legis vel quæ accipis a Domino Deo tuo, operibus exequaris, et collatam in te gratiam officiis representes: ut Petrus et Paulus, qui evangelizando vicem quamdam largitori muneris reddiderunt, ut possent singuli dicere: «Gratia autem Dei sum quod sum, et gratia ejus egena in me non fuit: sed abundantius illis omnibus laboravi.»¹⁾ Alius ergo fructum accepti beneficii, ut aurum auro, argentum argento rependit: alius laborem, alius, haud scio an etiam locupletius, solum restituit affectum. Quid enim si reddendi nulla facultas suppetit? In beneficio referendo plus animus quam census operatur: magisque præponderat benevolentia, quam possibilitas referendi muneris. Gratia enim in eo ipso quod habetur, refertur. Magna igitur benevolentia, quæ etiam si nihil conferat, plus exhibet; et cum in patrimonio nihil habeat, largitur pluribus; idque facit sine ullo sui dispendio, et lucro omnium. Et ideo præstat benevolentia supra ipsam liberalitatem. Ditiore haec moribus, quam illa muneribus; plures enim sunt, qui indigent beneficio, quam qui abundant. Est autem benevolentia etiam conjuncta liberalitati, a qua ipsa liberalitas proficiscitur, cum largitatis affectum sequitur largiendi usus: et separata atque discreta. Ubi enim deest liberalitas, benevolentia manet, communis quædam parens omnium, quæ amicitiam connectit et copulat: in consiliis fidelis, in prosperis læta, in tristibus mœsta; ut unusquisque benevolentis se magis quam sapientis credat consilio: ut David cum esset prudentior, Jonathæ tamen junioris consiliis acquiescebat.²⁾ Tolle ex usu hominum benevolentiam, tanquam solem e mundo tuleris, ita erit; quia sine ea usus hominum esse non potest ut peregrinanti

1) 1 Cor. 15. 2) 1 Reg. 20.